



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An & qualiter hæres teneatur implere, & exequi vota defuncti, quæ ipse non implevit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Ad divisiones vero voti quod atinet, potissima est, qua votum dividitur in solemne, & simplex: votum solemne est, quod ab Ecclesia, ut tale acceptatur, & voventem inhabilem reddit in perpetuum (spectata lege ordinaria, & seculari dispensatione Pontificia) ad matrimonium contrahendum, & ad dominia acquirenda, vel retinenda. Simplex vero omne aliud votum est, quod talem solemnitatem, & vim non habet. Habent autem illam solemnitatem in ordine ad dirimendum matrimonium subsequens, duo tantum vota, ex constitutione Ecclesie in *c. unico h. t. in c. explicata*, votum scilicet religiosae professionis, & votum castitatis susceptionis sacrorum ordinum annexum: ex quo capitulo etiam patet, voti solemnitatem, non ex natura rei votis his antezam esse, cum ex natura sua sine ejusdem roboris simplex, & solemne votum, sed ex constitutione Ecclesie esse introductum, ob majorem sacrorum ordinum, & religiosae professionis reverentiam.

§. II.

Virum, & quando votum obliget, & impleri debeat, & an etiam interveniente impedimento?

Certum est, quod homini liberum sit vivere, vel non vivere, cum votum sit res consilij, factum tamen voto obligati voventem, ad implendum illud, constat ex *c. Licet 6. h. t.* & ex natura acceptatae promissionis obligantis: & quidem quod votum absolute factum nullo praefixo ad obligandum, aut implendum

tempore, statim obliget, & impleri debeat, quamprimum spectatis circumstantiis commode impleri potest, & summe communissima docet, & summe *cap. 23. Deuter. v. 21.* & colligitur etiam ex *c. nov. est 5. h. t.* & *ex vigilia 100. in ff.* differri tamen posse voti executionem ex justa causa, colligitur etiam *in ff.* & quidem si impedimentum temporale sit, per quod reddatur praesens solitum difficultis voti executioni, ad tempus differri hujus executio potest, donec commode, & quiete executioni mandari possit: si vero impedimentum, quod occurrit, perpetuum sit, tum votum commutandum, vel in eo dispensandum est, ut colligitur ex *c. quod per h. t. h. t.* vel si absoluta sit impossibilitas, & perpetua impossibilitas, ob quam nonnunquam voti obligatione liberare potest: juxta has enim declarationes, neque nimis rigor in voti executione premitur, quem Deus non petit, neque nimia solertia, libertas, & deobligatio, ob quodlibet impedimentum permittitur, & tamen ad tempus nemo obligatur.

§. III.

An & qualiter haeres tenetur implere, & exequi vota defuncti, qui ipse non implevit?

Vota merè personalia defuncti, per actiones voventium respectant, non tenetur implere haeres, & exequi (si speciali pacto cum defuncto introducto, hoc etiam se implendum obligasset, quod in casu non vi voti, sed vi pacto obligaretur) tenetur tamen implere vota

quæ rebus ipsis annexa sunt, & mixta, quæ partim personalia, partim realia sunt, si id, quod in voto tali reale est, separari possit à personali, ac independentè ab hoc promissum sit (cùm hæres adeundo hæreditatem, sicuti res cum onere accepit, ita ex justitia obligetur ad rem taliter oneratam ei dare, cui defunctus dari voluit) ita tamen, ut ultra vires hæreditatis non teneatur: & salva maneat legitima Filiis v. g. debita, uti & alia, quæ nullo voto, aut legato gravari possunt; & si monitus à iudice Ecclesiastico intra annum exequi vota talia intermittat, omni commodo hæreditario, quod à defuncto consequi posset, sit privandus, *juxta authent. hoc amplius C. de fide commiss. Et c. licet. 6. h. t.* cùm dignus non sit commodo hæreditario, qui onera hæreditari annexa subire non velit, cùm tamen possit.

§. IV.

An ille, qui vorit ingredi religionem, vel etiam profiteri, possit licitè ante votum impletum, Episcopatum accipere?

R. Respondetur negativè, juxta id, quod statuitur in *c. per tuas 10. h. t.* ubi Pontifex cuidam, qui post votum religionis Episcopatum accepit, suadet, ut, si conscientiam suam sanare velit, quam voti sui transgressor læserat, renuntiet Episcopatu, & reddat Altissimo vota sua (neque enim propriâ auctoritate votum, quod habet de religionis ingressu, mutare potest, in Episcopatum, velut altiozem, & perfectiorem statum, cùm status Episcopalis non sit melius medium ad pro-

priam perfectionem acquirendam, quàm status religiosus) nisi ob magnam Episcopi talis utilitatem voti obligatio videretur suspensa.

§. V.

Quis vota commutare, vel in ijs dispensare possit? Et quæ vota, ac qualiter commutari possint?

Commutare vota, & in illis dispensare potest de jure ordinario quilibet Prælati Ecclesiastici respectu suorum subditorum, si in eos jurisdictionem quasi Episcopalem habet, & justam causam talis commutationis, aut dispensationis faciendæ subesse judicat, neque vota illa sint specialiter Summæ Sedi reservata, ut patet ex *c. de peregrinationis 1. h. t.* de jure verò delegato, & ex privilegio, hæc commutandi, & dispensandi potestas aliis etiam competit: quin imò in evidentè melius commutare suum votum potest quilibet propriâ auctoritate, abque aliâ superioris, aut privilegiati, neque enim promissum (Deo factum) infringit, qui in melius illud commutat *c. 3. de jurejurandi.*

Possunt autem omnia vota (loquendo de votis, quæ Summæ Sedi specialiter reservata non sunt, neque facta sunt in specialem favorem tertij) commutari, non tantùm in melius, ut dictum, sed in æquale etiam, saltem si superioris auctoritas accedat: quamvis enim aliqui putent probabiliter, in evidentè æquale propriâ etiam auctoritate commutari vota posse à vovente, cùm Deo videatur